Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Gene

ministerio tuo. et restituet te in gradum pristinum. dabis que ei caliceum iuxta officium tuum sicut facere assuetus es. tantum memento mihi cum bene tibi fuerit. et facies mecum misericordiam. ut suggeras pharaoni. et educas me de isto carcere. quia furtim sublatus sum et hic in nocte ~~et hic in no~~ de terra hebreorum. et hic innocens in lacum missus sum. Videns princeps magister. quod prudenter somnium dissoluisset. ait. Et ego in somnio meo. quasi hebrea tria canistra farine super caput meum. et in uno canistro quod erat excelsius portare me putabam omnes cibos quos fiunt arte pistoria. auesque comedere ex eo. Respondit ioseph; hec est interpretatio somnii. Tria canistra. tres adhuc dies sunt. post quos auferet pharao caput tuum. ac suspendet te in cruce. et lacerabunt volucres carnes tuas. Et in die tertio natalicia pharaonis erat. Et faciens grande convivium pueris suis. recordatus est inter epulas magistri pincernarum. et principis. Restituit que alterum in locum suum. ut porrigeret ei poculum. altum suspendit in patibulo. ut oracularis veritas probaretur. Et cum succedentibus prosperis. spiritus pincernarum oblitus est interpretis sui.

XLI

Post duos annos. vidit pharao somnium. putabat se stare super flumen. de quo ascendebant vii. boues pulchre. et crasse nimis. et pascebantur in locis palustribus. alii. septem quoque vii. emersebant deformes. et macre. et pascebantur in ipsa ripa. in locis ubertimis. et comederunt eos. quorum nimia species. et habitudo erat corporum. Expergefactus pharao. rursum dormiens vidit alium somnium. Septem spice pullulabant in culmo uno plene atque formose. alie quoque tenues. et pauce uredine corrupte. devorantes omnem priorum pulchritudinem. Exsilians pharao post quietem. et facto mane. magno pauore perterritus. misit ad omnes cultores egypti. cunctos qui sapientes. et aceruus narrauit somnium. nec erat qui interpretaretur. Tunc demum. commotus pincernarum magister. ioseph ait. Confiteor peccatum meum. Iratus rex servis suis. me et magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum. ubi vna nocte uterque vidimus somnium. presagium futurorum. Erat ibi puer hebreus eiusdem ducis militum famulus. cui narrantes somnia audiuimus quidquid postea rei probauit eventus. Ego cum redditus sum officio meo. et ille suspensus est in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere ioseph. tonderunt. ac veste mutata obtulerunt ei. Cui ille ait. Vidi somnia nec est qui edisserat. que audi. audiunt te peritissime conscrutator. Respondit ioseph. absque me respondebit deus prosperum pharaoni. Narrauit ergo pharao quod viderat. Putabam me stare super ripam fluminis. et septem boues de flumine ascendere pulchras